Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 543
Quelle:
Copyright:

dei et hominum christus iesus qua conuenientia et necessitate in reconciliatione humani generis septem sancti spiritus donis uti uoluerit, quantum possumus, consideremus. Quia igitur duarum partium inter se discordantium mediator ueniebat, utrique parti eum congruere oportebat. Unde necesse fuit, ut et deo patri per spiritum timoris fideli reuerentia subiectus existeret, et lapso homini per spiritum pietatis misericordi compassione condescenderet. &c. Extrema sunt: *et suos intelligentie dona discernere faciat. Per eundem D. N. J. C.*

VII. *fol.* 120. p. 2. *In Epyphania domini sermo.* Incipit: *Triplicem huius festiuitatis rationem a sanctis patribus traditam esse cognouimus. Quia uidelicet hac die noua stella nouum regis ortum designans tres magos ab oriente christum in bethlehem adduxit adoratum. cui mystica munera Offerentes auro regem. thure deum. myrra hominem confessi sunt. Hac ipsa die tricesimo etatis sue anno christus iesus ad iohannem baptistam uenire dignatus est, et ut omnem adimpleret iustitiam non minor maiori. non par pari. sed maximus minori se subdidit. et baptizatus est dominus a seruo, magister a discipulo, opifex a figmento, mundus ab immundo, deus ab homine* &c. Finis: *ubi nullus dolor sed sempiternus honor inhabitat.* Observa, neutrum horum Sermonem *Bernhardo* inscriptum. Neque ego illius esse censeo, quin tamen, quem autorem dem, habeam. Interim doctum et pium Coenobitam, qualis *Guerricus*, *Aelredus* &c. fuisse oportet, quanquam nolim cum eo *Johannem Bapt.* dicere *immundum*, quem *Bernhardus Serm. in Nativit.* ejus *sanctificatum in utero* dixit.

VIII. *fol.* 124. *Incipit tractatus beati Bernhardi abbatis. De formula honeste uite.* Mirum, tam brevi post *Bernhardum* tempore jam illi hanc *Formulam* adscriptam fuisse, quae a me *Vol.* I. saepius relata extat inter Subpositicia T. V. *col.* 794. Sed in praesenti Exemplo adjunctam habet *Recapitulationem* opportuna Coenobitis Monita complexam hoc initio: *Vt ergo breuiter percurram omnia que supra diximus. esto deuotus deo. et cor semper quantum in te est compara cum ipso. Esto prelatis humiliter obediens* &c. Extrema: *castus in omnibus.*

IX. *fol.* 127. *Incipit prologus beati Bernhardi de sacramento corporis christi.* Rhythmicus est in hunc modum:

Quisquis nostri redemptoris uestiris imagine.
Et diuinis (divinae) *sacramentis delectaris pagine* &c.

Quidquid Versuum aut Rhythmorum *Bernhardo* unquam tributum est, repudiarunt *Mauriani*, rejeceruntque ad T. V. *col.* 891. ubi in *Admonit.* praevia fidenter *Mabillonius* pronunciat: *Cistercienses nihil admittebant, quod metricis legibus coercetur.* Quid igitur facies